



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXIV. Ignatij fama sanctitatis apud suos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

repentino concussa, & valido motum, somno excitat dormientem, perterrefacta, vt oculos aperit, videt luce ingenti locum omnem fulgere, sanctum in medio clarius radiantem, spirantemque vultus hilaritate, & pulchritudine felicitatem beatorum; ad hæc abeuntis salutatione blandè compellatur. Hem! ego, inquit, Margarita, discedo, vt vides, meos tibi filios commendo. Sub quæ, mox videri desit. Illa stupens simul, & gestiens ad Franciscum Palmium accurrit, visa auditaque, ingenuè vtpote confessario, explicat, cumque illi semper ignotus fuisset Ignatius, at suis illum sic lineamentis distinctè depingit, vt ex eius familiaribus, nemo propius vero, distinctiusque potuerit. Quod tamen Bononiæ nihil esset de Ignatij periculo morbove rescitum; Palmio nostris, matronæ visum referenti, dilata tunc quidem fides est; paucis vero diebus, mortis nuntij cum venissent, hora obitus, cum viso collata, intellectum est sanctum Patrem æterna gloria donatum. Quantam vero curam dilecti gregis è cælo gereret, opemque, illius tunc tenuitati, & amoris suo congruam præberet, manifestum fecere argumenta nec fera, nec dubia. Nam vltro præterque spem omnem officiosè ab Cardinalibus, & viris principibus, Societati patrocinia sunt delata: & Petrus Ribadeneira ex Belgio vbi de mandato Ignatij mensem iam septimum, in cassum egerat, repente in aulam vocatus, cumulatè quæ tandem flagitaret omnia impetrauit: petebat autem ab rege Catholico Philippo II. Societati aditum in eas prouincias. Cui cum obstarerent potentissimi aduersarij, & regis animus à susceptis ferè immobilis, Ribadeneira apertum cœlitus putauit: cognito vero sancti Patris decessu, agnouit pariter eius in eo negotio manum, quod eo in cœlum intrante, inde Societati impetratus venisset in Belgium aditus, qui ex hominibus frustra diu fuerat expectatus.

De Ignatij meritis, & sanctimoniam quam magnificè senserint eius coactanei maximè insignes; tot constat, ac tam illustribus monumentis, vt extra modum futura sit eorum recensio, etsi eorum dumtaxat lectissima, & grauissima memorentur. Pauca igitur dabo ex variorum ordinum hominibus excepta: atque, vt ab nostris incipiam pro singulari habitum est tot eius filios, tam perspicacis, & excoctæ virtutis, tandem illi domesticos, & familiares, nihil vnquam remisisse de reuerentia qua illum obseruabant; sed è contrario, processu temporis, & consuetudinis cum illo mutua auxisse, quanquam velari sacrae imagines identidem soleant ne conspectus perpetuitate illarum veneratio obsolescat. [Ego (inquit testis iuratus Philippus Aupolinus) Romæ Societatem ingressus dum P. Ignatius viueret, in ea æquè apud externos, vt apud nostros, sanctitatis opinione illum vidi, vt concursus fieret ad videndum illum cum domo exiret, & per vicos transiret. Nos qui domi præsentem fruebamur, venerabamur tanquam sanctum, vt etiam ex collo, eius præsegmina vnguium pro reliquiis gestaremus, quæ ab adiutore illius administro certatim eliciebamus: foris quoque, vt eum cognoscerent, & alloquerentur confluebant magno numero viri graues, &

XXXIV.

Ignatij fama
sanctitatis
apud suos.

magni, eius sanctitatis acciti fama: & animaduersum, qui ex eius affatu non rediret melioris vitæ, aut perfectioris desiderio incensus, vix esse re-
 pertum aliquem; solo quin etiam aspectu mœrentes, & afflictos ad se
 adeuntes solabatur] hæc ille, quod autem de præsemine vnguium ait
 Romæ ab nostris factitatum, idem apud Indos Xauerius, de illius egit
 chirographo, nam eius rescisum literis cum ossæ schidia Thomæ Apo-
 stoli, appensum pectori gestauit, iisque reliquiis, puerorum manu, quo-
 rum ad hoc operam adhibebat, innumera patrabat miracula, suo quidem
 qui eas tradebat, sed & eorum quorum erant, etiam merito. Patri præte-
 rea, laborum in India socio suadens, vt se magis obedientiæ præberet do-
 cilem, & præpositis, tractabiliorem, nihil efficacius adinuenit, quam si ho-
 minem rogando, interponeret amorem, & obseruantiam qua Patri Igna-
 tio tenebatur. Scribebat ad eum de genibus, literæque nq̄rabāt lacrymis;
 tua sancta caritas; & Pater animæ meæ, tituli erant quibus hunc compel-
 labat; dolens vero tam diu, tam procul ab eo degere, suumque illius re-
 uisendi desiderium testatus, promptusque si iusserit in Europam redire, hæc
 clausula absoluit, *filiorum tuorum minimus, & omnium longissimè exulans
 Franciscus.* Quæcumque illi ab eo veniret amoris testificatio, soluebat il-
 lum in vberes fletus, animi iucundè pièque gestientis. Decumanis suis ter-
 ra marique periculis, supremum hoc habebat effugium, patris sui Ignatij
 merita Deo obicere, perque illa salutem, & præsidium obsecrare, sermo
 etiam eius haud impar opinioni tantæ, sanctitatem illius miris enuncia-
 bat modis sic enim retulit adiutor, Bernardus nomine, Cangoximæ in Ja-
 ponia natus, primusque illic sacro fonte ab Xauerio tinctus, & Romam
 missus, narrare sibi solitum aiebat Xauerium de Ignatio grandia, magnæ
 virum sanctimonix nominare, ac venerabundè, quâ sublimitate de illo existi-
 maret prodere; haud ramen cum illo egerat, cum iam adepto virtutis api-
 cem, ex quo Romæ ad summam apud Deum gratiam, & virtutum excel-
 lentiam annos sedecim profecit. Demum paulo ante quam viuis abiret
 prolixam ad eum, notisque insignem intimi amoris Epistolam non dubi-
 tauit inscribere *Patri meo in Christo sancto Ignatio.* Eadem Iaium, & Boba-
 dillam Ignatij socios, tenebat eius opinio. Ille ab stomachi dolore ad ex-
 trema redactus, omnisque prorsus inops remedij, cum publica in via Ro-
 mam inter & Venetias proiectus iaceret, patris sui Ignatij tum viuentis,
 representauit Deo singularia merita, vt iis sanitatem sibi exoraret. Vix per
 ea precari desierat, cum desit pariter stomachi cruciatus. Alter Romam Ty-
 bure cum venisset, ardere cœpit Febri vehementissima, memôrque se in
 eo conclaui decumbere vbi paulo ante animum Ignatius efflarat, illius
 sanctitate, & gloria confusus, opem ab eo cum lacrymis petiit, sensitque
 repente febri omnem extingui, atque, vt ipse loquebatur, sic sibi detra-
 hi ac si lecto stragula demeretur, addebâtque hoc suum testis vnus dictum,
 instar esse duorum, quod ipse miracula iactantibus ægrè se credulum præ-
 beret. Accedit his B. Franciscus Borgia, cui magno fuere in honore, quæ
 Ignatio

Ignatio in usu fuissent: nam Roma in Hispaniam redux, & secessum captans solitarium, & sanctum ubi extra homines ageret, aptiorem voto non reperit quam Ognaten, tribus ab Loiola milliaribus seiunctum, videbatur id solum, sanctum quiddam sibi aspirare, & perpetuos subdere stimulos ad viri sancti imitationem. Prius tamen quam illud reciperet sese, voluit Loiolum palatium visere, locumque ingressus, ubi primum Ignatius hanc lucem viderat, veneratus est fletu, & oculis illam humi in illorumque parietes, ex quibus tantum orbi bonum, caelitus prodisset. I: hic etiam Hieronymi Natalis post annos aliquot idem sensus. Superstiti adhuc Ignatio, scripsitque se indignè admodum tulisse, quod Loiola dinastæ, natalem ipsius cubiculum, in vilem culinam deturpassent, cum debuissent in sacellum conuertere: præter quod, Natalis eiusmodi erat de Ignatio existimatio, ut quicquid animo fingeret omni parte virtutis absolutum, minus eo putaret quod re ipsa edebat, peragebatque Ignatius. Usque eo, ut eius quandoque reliquiis beatum se crederet, ni foret ab eo vetitus illas retinere cum enim dolore dentium iam diu Ignatius inuicta patientia torqueretur, misertus Natalis chirurgum accersit, qui dentem affectum eximeret; quod suo ingenti conatu chirurgus, & dolentis cruciatu fecit, quod altè solidis hæreret radicibus, sed ita immoto, sedato fixoque Ignatio, ut si ferro statua scalperetur. Extractum dentem suffuratus Natalis, non satis Ignatium latuit, qui repetitum, sic contemptum proiecit, ut frustra illum curiosè, diu Natalis requireret. Apud Lainium quam apud iam dictos, nihilo fuit Ignatij gloria leuior, Fabrum illi, quoad res diuinas, velut puerum viro, ætatis integræ opponēbat. Erat tamen Faber, quod hic obiter dictum sit, quem Litaniis inter sanctos Xauerius in preces vocabat, nec fuit illud de utroque tam dispar Lainij solius iudicium [Fabrum (scribit Ludouicus Gonzales Madriti noueram: egeram cum illo de rebus animi fat diu, talēque perspexeram qui me in maximam sui raperet admirationem, nec usquam gentium credideram posse reperiri cœlestibus Deoque pleniorē. Audiens sub hæc de Ignatij dotibus, præstantiæque præ fociis fidem quæ solet narrantibus dabam, cum esset præsertim sociorum dux, & caput. Verum ubi Romæ Ignatium conueni, & communicauit cum eò de rebus animi, euauit mihi ex oculis Faber, puerumque iam duxi si cum Ignatio conferretur.] Attentis deinde Lainius singularibus donis quibus Ignatium locupletarat Deus, perduxeratque ab inito conuersionis suæ cursu per longinqua, & aspera, ad condendam felici exitu religiosam militiam, cuius orbe iam toto legebat victoriæ fructus quos seuerat, reuerenter admirans aiebat. *Complacuit sibi Dominus in anima serui sui Ignatij*, tandem æger, depositusque à medicis, quo tempore Ignatius in extremis erat, veritusque ne se metu morbi augendi, celatum vellent ipsius obitum, rogabat singulos qui ad se adibant Estne mortuus vir sanctus? mortēque deum illius cognitā; manus, & oculos in cœlum sustulit, eiusque velut cœlo beati suffragia enixè poposcit Deum rogans, si gratum haberet, sibi quoque

quoque donaret patris vestigia quamprimum subsequi, seque illius meritis felici transitu cum eo iungeret. Aliorum de illo perpelli opinio noluit, ut preces pro mortuo funderent, sed è contrario precum illius præsidia postularunt: Fulvius Androtius, religiosus virtutibus insignis, ad aram pro illo de mortuis secundum facturus cum staret, obtinere id ab se non potuit, coactusque est mutato consilio de augustissimo Iesu nomine facere, ac sæpius repetens *Pater Ignati ora pro nobis*, gratiæ affluentis experientia, sentire vim cœpit eius, quam vocabat intercessionis. Postremò dicat pro testimonio inter Ignatij alumnos, summè illi carus, & intimus Petrus Ribadeneira, qui gesta illius conscripsit primus, & edidit. Hic iureiurando testari iussus de sanctitate Ignatij quid sentiret, rationibus decem testificationis suæ veritatem affirmavit. Nolo has dare hic mutilas, sed quales habentur publicis tabulis consignata. [Interrogatus igitur Madriti P. Petrus Ribadeneira anno 1595. Iulij XIII. coram Illustrissimo D. Gaetano Patriarcha, & Pontificis in Hispania Nuntio, de vita, & Sanctitate P. Ignatij, quid, & quibus nixus argumentis sentiret; manu pectori admota, ut moris est Sacerdotibus, iuratus seuera dicturum, respondit, habere se Ignatium pro sancto, sempèrque habuisse, atque inter sanctos valde magno, & Dei amico, seque in hanc mentem, subsequenter rationibus adductum.

1. Quòd per longam annorum sedecim, octo vero etiam intimam cum eo familiaritatem, nihil in eo vidisset, nihil ex eo audisset, quod posset merito veniali culpæ, nedum lethali attribui. Haud quidem idcirco, quod crederet, nunquam illum venialia peccare, cum probè id sciret. *Non est iustus qui non peccet*; & illud *septies in die cadit iustus*; sed quod eius & verba, & opera eiusmodi essent, & ad eam exacta normam, ut ex eorum aspectu, vel auditu, non posset illa peccati vllius damnare; nam otiosa, querula, iniuriosa se nunquam audisse, ac ne tum quidem cum suos argueret, vidisse vnquam in compositum, iratum, indignantem ultra quam ipsemet videri aptè ad eam reprehensionem, & consultò veller: quare illos motus præuertebat semper ratio, non subsectabatur.

2. Quòd in P. Ignatio multa observasset virtutis heroicæ, & raræ sanctimonix opera; nominatim vero in precandi assiduitate; in teneritate affectus, & piorum sensuum; in profusione lacrymarum, earumque deinde laxandarum vel inhibendarum facultate; in ardore ingenti diuinæ gloriæ servandarumque animarum, in mundi, ac sui despicientia, in abiectissima sui demissione; in patientia alacri ærumnarum; in conflictationibus fortiter, & mira constantia perferendis; in cunctis negotiis animæ supra humanum prudenter tractandis: in aequalitate animi, & vultus, nullis aut aduersis, aut prosperis mobili; aut si quid interdum mutari videretur, cum tristi aliquo, & improviso percelleretur casu, tunc comparebat alacrior: in aliis denique virtutum omnium ornamentis de quibus libro quinto scriptæ de illo historiæ agitur.

3. Quòd

3. Quòd esset lectus diuinitus in Societatis fundatorem, ac patrem, & eam Deo adiuuante statuisset, rexisset, toto orbe sparsisset, ex eaque per suos, tam vberes, gratosque fructus collegisset; nec enim videri fieri potuisse, quin tanto operi destinatum, instruxisset Deus iis dotibus, quibus ad illud egregie patrandum idoneus fieret, cum praesidia gratiae iniuncti muneris magnitudini paria, suppeditare consuerit. Cuius rei patebit admirabilitas clarior, si quae illam circumstant spectentur attentius: vt est vitae ab tanta vanitate, ac mollitie, in tantum suimet contemptum, & vexandi sui ardorem mutatio; diuini magisterij doctrina (vt qui esset literarum expertus) donumque Exercitiorum spiritualium, quorum vsu primos tum sibi adiunxit socios, tum eorum complures qui eum sectati sunt postea, praeter alios multos, qui partim religiosorum ordinibus variis dedere nomen, partim conditionis pristinae emendare prauitatem. Primorum sociorum qui omnes Hispani, & Galli fuerunt, inductus animus, vt spebus omnibus abiectis se affectarentur, & bellis immanibus Hispaniam inter Galliamque furentibus, mutua inter se, & plusquam fraterna beneuolentia coniuncti viuerent. Accepta à Deo religiosae vitae forma, Ordinibus ceteris, ipsa sui natura, & ratione consentiens; quoad alia vero ab iis dissimilis, & pro necessitate temporum diuersa; quale votum est professorum addictae Pontifici obedientiae ad impugnandos authoritatis ipsius hostes haereticos, & propagandam quocumque gentium Christi fidem. Constitutiones quas scripto tradidit, medulla virtutis exquisitae, sapientia diuina, verborum ac sententiarum pondere admirandas, quarum sanè haud leue praeconium sit reuerentia, qua Societatis conuentus quinque post defunctum Ignatium habiti has venerati sunt, & probarunt.

4. Quod visis, donisque caelestibus, & vaticinijs à Deo supra modum vulgarem decoratus, quorum in eius historia nonnulla narratur, multa legi possunt in commentarijs, quae sua manu adnotauit, dum constitutionibus scribendis incumberet, ac post eius mortem reperia sunt.

5. Quod messum tulisset instituta ab eo Religio, orbe toto copiosissimam tum instauratis inter Catholicos moribus, tum conuersis ad fidem ethnicis atque haereticis, in quo sunt totidem superiora sensibus miracula quot ab sceleribus ad innocentiam, ad fidem ab haeresi, & infidelitate perducti sunt, eoque corporeis pretiosiora, quo excellentior animorum est salus quam illa conferunt, corporum sanitate, quam ista restitunt, vt viri sancti docuerunt.

6. Quòd eius intercessionem, & viuentis, & vita defuncti Deus miraculis illustrasset, quae narrantur in ipsius gestis, & actis iuridicis quae passim tot locis conscribuntur.

7. Quòd semper daemones infestissimis odijs sibi aduersantes habuisset, & continuas in illum vexationes concitassent. Notatum siquidem absente Ignatio, primos illius socios tranquille ac placide egisse; cum ad illos re-

direr, tempestatem mox aliquam in eos ingruisse, Ignatij odio ab dæmonibus comparatam. Narrabat Lainius Patavij arripitium militem qui nunquam Ignatium viderat; sic illum ad natiui oris expressam effigiem descripsisse, vt nihil posset expressius, addidissetque nullum vsquam sibi esse inimiciorem. Quod alius Romæ confirmavit dæmon, qui iuuenem Marthæum nomine occuparat, expulsusque deinde ab Ignatio est. Nam cum ipse qui hæc coram testatur, hosti maligno minaretur, Ignatium quantocyus adfore deiecturumque illum sua statione; execrabatur vociferans omnem eiusmodi hominis mentionem, quo magis inuisum haberet neminẽ, quod idem quoad rem attinet, Drepani quoque in Sicilia statim à morte Ignatij dæmon profiteri auditus est, idque à Ioanne Vega Prorege; & aliis inter quos Hieronymus Domenecus, vir sanctus, & Societatis in eo regno Prouincialis, qui Romam literas de eo dedit; hoc vero, testi qui hæc profert, pro argumento est Ignatij sanctitatis: cum etsi dæmoni nulla sit, ex se atque vltro dicenti fides, dari tamen non vana possit, vbi Dei iussu ad sanctorum honorem fateri vera compellitur, eiusque dicta consentiunt illorum meritis, aliisque probationibus, certioris, & euidentioris argumenti.

8. Quod multis fuisset toto vitæ decursu iisque grauissimis vexantium afflictationibus exercitus; ab hoste bonorum, Dei nutu conscitis, Compluti, Salmanticæ, Parisiis, Veneriis, Romæ, Societate nondum instituta; & deinceps, quâ in illum priuatim, quâ vbique locorum in eius filios; sed inuicta patientia, robore animi, & alacritate generosa peruictis, coronatissime illustri victoria, vt est omnibus manifestum. Quæ indicia sunt beneficentiæ singularis, quâ Deus illum probari voluit, & præsto adfuit laboranti, fecitque tandem hostium victorem.

9. Quod multi valdeque insignes Dei serui, & viri grauissimi, pro sancto Ignatium duxissent, quorum eius historia meminit. Certò quidem nonnulli quorum quisque per se se, magna laude splendebat sanctitatis, Faber, Lainius, Xauerius, Borgia, & alij, ad Ignatium erant velut pumili ad gigantem, idque ipsimet agnoscebant, eumque propterea suspiciebant, ac venerabantur.

10. Quod etiam aliqua in hoc teste per Ignatium Deus effecisset. (Et hic illa enarrat, quæ opportunius suo loco magna ex parte iam retuli) subdam his tantum quod Ribadeneira suo huic testimonio adiunxit, de fide quam ait integram vitæ S. Ignatij quam ediderat deberi [cum nihil eo libro tradiderit cuius falsitatis sit conscius, scripsisse saltem nihil meminerit quod sciret esse falsum; imò certo credat quicquid eo libro continetur, quantum capit æstimatio humana, consentaneum vero esse; sibi enim summæ fuisse curæ, vt verax esset in omnibus, scriberetque de Ignatio quæ ipsemet viderat, quæque audierat, ipsoque vel de se narrante acceperat, vel ab aliis memorantibus fide dignissimis, vel ex autographis securæ auctoritatis habuerat. Quare ab se inspectum, & auditum quod ait, audisse certò atque inspexisse; quod referentibus aliis exceptum, verè ex aliis retulisse.

talisse. Veritatem eius historię confirmat, quod ea priusquam in lucem daretur, iubente Francisco Borgia censuram subiit virorum grauium de Societate, quorum nonnulli valde familiariter cum Ignatio egerant. Postquam vero in lucem exiit supersticibus adhuc eiusdem familiaribus antiquis patribus non paucis, in quibus tres primorum eius sociorum, qui falli quicquam in ea argueret, auctori compertus est nemo. Ea demum historia Latine Neapoli edita cum super mensam in triclinio legeretur, audirentque patres qui Romam conuenerant ad Generalem congregationem anno 1573. Mercurianus tunc Societati ab ea Præpositus Iacobo Ximeno (nunc vsque in viuis agenti, olim Societatis Romæ Procuratori, & Secretario Generali) negotium dedit, vt suo nomine Patres omnes Congregationis seorsum singulos adiret, de illa historia quid sentirent, notassentne dignum emendatione; nihil æquè auctorem auere, quam vt opus illud certa conitaret veritate, & si quid in eo minus probaretur tantorum virorum corrigeretur sententia. Patrum tamen neminem subiit de veritate historię, vel quicquam ambigere, vel alicuius momenti quicquam opponere, quod Ximenius suo chirographo abundè testatus est, fuerant autem ex iis Patribus multi Ignatio perfamiliares, vt Salmeron, Bobadilla ex primis ipsius sociis: Domenechus, Polancus (totos nomen annos eidem ab secretis, eiusque veluti pes, & manus:) Natalis cui vices suas commiserat: Doctor Madridius quem Magistro Lainio Generali Assistentem Hispania habuit, ipseque Mercurianus Generalis qui omnes vita functi, præterque hos Benedictus Palmius, & Manareus, perspectæ auctoritatis viri, qui etiamnum valent] hæcenus Ribadeneira.

Accedunt testimonia externa domesticis. Primum inter externos locum iure sibi vindicet Philippus Nerius Oratorij fundator, olim Ignatio intimus, post vero in sanctorum honoribus Collega: solebat hic vultum Ignatij splendentem cernere, & multa luce radiantem, quam ex pulchritudine animi excellenti dicebat emicare, idque Antonius Gallonius, & Marcellus Vetelleseus ex illius ore acceperunt. Indèque idem, Manareum alloquens, fieri aiebat, vt Ignatij speciem ars nulla pictoris satis exprimeret, quod in terra deessent colores quibus reddi ex vero possit cœlestis illius pulchritudo. Quo item argumento sanctitatem Ignatij Cardinalis Taurusius Senensis Archiepiscopus iure asseruit, cuius si alius illo æuo in purpuratorum Patrum Collegio, cordatissimi, & integerrimi, iuuat hic verba concepta ponere, in beati honorem, cuius sanctimoniam testabatur, cum præsertim è vita migranti se interfuisse significet, [Franciscus Maria Taurusius, S. R. Ecclesiæ Tit. S. Bartholomæi in insula, Præsbyter Cardinalis, ex Apostolica dispensatione Archiepiscopus Senensis. Omnibus, & singulis has nostras litteras lecturis, salutem in Domino. Beatus vir Ignatius Loyola, Societatis Iesu Fundator, firmiora quidem suæ gloriæ testimonia habere non potest, quàm quæ per eius instituti sectatores, vera huius sæculi lumina, omni virtutum, ac disciplinarum genere præditos,

XXXV.

*Externi viri
sunt insignes
quid de Ig-
natio senserint.*